

I. Heinrich Hottingeri, [...] exercitatio ritualis posterior de origine sacrificiorum patriarchalium tractata

Autor(en): **Hottinger, J. Heinrich**

Objektyp: **Article**

Zeitschrift: **Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum**

Band (Jahr): - **(1746)**

Heft 3

PDF erstellt am: **07.07.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-394581>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

Haftungsausschluss

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.



I.

J. HENRICI HOTTINGERI,

S. Th. D. et Prof.

EXERCITATIO RITUALIS

POSTERIOR

De

Origine Sacrificiorum Patriarchalium

ἀναστροφῆς τῶν tractata.

§. I.

DEstruendus nunc venit Error Veritati assertæ contrarius, sive Opinio illorum, qui negant divinum Sacrificiorum Ortum. Qui eum humanum fingunt & opinantur Patriarchas sola dictante Ratione, proprio motu, sacrificasse. Quem in finem Adversariorum Rationes in medium sunt proferendæ ac solide, quantum licet, tollendæ.

§. II. Ne tamen in Bello suscipiendo vel incertum Hostem mihi eligam, aut æquo prolixior sim, optimum judico Aciem non adversus integrum hostilem Exercitum, sed nonnisi adversus Ducem ejus instituere. Hoc enim debellato ceteri gregarii milites (prout Philistæi prostrato Goliatho Duce)

Tom. I.

Z

statim

statim aufugient. Hunc JOHANNEM SPENCERUM, Virum exquisitissimis Scriptis in Orbe Literato Celeberrimum, esse facile cognosces. Argumenta Viri doctissimi eo, quo ab ipso posita sunt, ordine dabo. In verbis parum, quando prolixus erat; in sensu nihil mutabo.

§. III. Argumentum primum petitur e *Locis illis, quibus Deus, ut Hebræorum in Sacrificiis fiduciam minuat, aperte negat se quidquam eorum Majoribus de sacris offerendis in mandatis dedisse; nempe Jes. I. 12. & Jer. VII. 22. quibus diserte asserit se Victimam de Populi manu minime requisivisse, nec locutum fuisse Patribus suis, nec iis præcepisse de Holocaustis & Victimis in die, qua eduxit eos de Terra Ægypti.* Unde infert Spencerus. *At Deus dicere non posset, se nihil de sacrificio præcepisse, si a prima rerum origine hunc sacra faciendi Ritum hominibus instituisset, nam Leges Adamo posterisque datæ non minoris habendæ erant, quam quæ Hebræis postea Ægypto migrantibus ferebantur.* Tanta est Thematis nostri dignitas, ut seorsim ad unumquemque citatum Locum, Verba, Nexum & Scopum perpendendo, respondeamus.

§. IV. Et primo quidem ad Jesajæ c. I. probe tenendum, quod Vati res sit non cum Populo Dei in genere, multo minus cum fidelibus Deo Cultum in fide præstantibus, sed cum flagitiosis Judæis, præ animalibus irrationalibus pejoribus C. I: 3. cum Gente summe scelestâ v. 4, 5. hinc gravibus irati Numinis Judiciis punita v. 6 - 10. uno verbo Moribus & Fatis tristibus sodomitica v. 10. Hæc tamen Gens volebat haberi Populus Dei. Offerebat hinc plura, pretiosa, opima Sacrificia, fæta, suffitum. Frequens in Templo comparebat. Sabbatha, Novilunia, Festa observabat, multa

multa quoque erat in precibus *ψ. 11 - 16.* Talem nunc graviter compellat: *Quid mihi multitudo זבחיכם sacrificiorum vestrorum?* &c. Verissime concluditur, quod Deus cultum talium impiorum, flagitiosorum, hypocritarum non instituerit, quin abominetur, sacrificia eorum detestetur. Sed quæ consequentia ad Cultum divinum in se consideratum, multo minus eum, quem fideles testatum faciunt? An licet argumentari: Deus rejicit Circumcisionem carnalium Judæorum: Ergo rejicit quoque Circumcisionem in se; rejicit Abrahami, Isaaci &c. Minime. Quare Propheta studiose restringit Sacra ad Judæos, quos reprehenderat in verbis: *Sacrificiorum VESTRORUM - - - quando VOS venitis - - a manu VESTRA, - - Novilunia VESTRA, & Festa stata VESTRA,* ut omnes sciant, se correptionem non ad omnes extendere. Dein quid clarius quam quod Deus Sacrificia, Sabbatha, Novilunia, Festa per Mosen instituerit? Qui Sacerdotes, Aras, Instrumenta ordinavit; Certe etiam ordinavit Sacrificia. Unde qui divinam Sacrificiorum ante Mosen Originem negant, non tamen audent negare Mosaicorum: Et si qui negare audent, profecto omnem fidem Sacris habendam esse denegant. Si ea divina non sunt, quæ in plurimis Locis, in integris Capitibus vel ferme integris Libris a Deo instituta claris verbis traduntur, quæso quid tandem divinum habendum? Hinc quoque sequeretur, non solum gregarios fideles sub Oeconomia Mosaica, sed etiam Samuellem, Davidem, Salomonem, tot Prophetas offerentes ex solo Rationis dictamine Sacra fecisse. Sed & hoc notandum puto, antequam præsentem Locum mitto: Comma XI non rectius intelligi

potest quam ex formulis a Deo in ipso hoc Capite adhibitis. Exprimam solum illas, quæ *ψ. 15.* exstant: *Et quum expanderitis volas vestras, claudam oculos meos a vobis; etiamsi multiplicaveritis Orationem, haud quaquam exaudiam.* Quid an Preces non sunt Originis divinæ? Quandoquidem Deus oculos suos coram præcantibus claudere & Preces non exaudire minatur. Hic procul dubio Vir Cl. mecum agnoscat officium precandi esse divinum; Preces fidelium esse Deo gratas. Nihilominus h. l. Deus preces fastidit. Quare? Minime hac ex Causa, quod Preces a Deo non sint præceptæ; sed quod impiorum, hypocritarum preces ipsi sint ingratae. Unde immeditate additur: *Nam manus vestrae plenae sunt sanguinibus.* Ita particulam Causalem, *nam* subintelligendam judicant præstantissimæ Versiones, veluti Vulgata, LXX, Chaldaica, Lutheri, Tigurina. Idem dictum sit de Sacrificiis, immo reliquis omnibus sceleratorum Actionibus sacris, quæ Deo, si a fidei proveniunt, gratæ; At ingratae, quando proveniunt ab Impiis, Hypocritis. Perplacet ergo, quod ex Patribus apud Gatakerum *in Crit. S. p. m. 864. Edit. Traject. ad Rhenum* annotatum est. *ἐκ ἐστὶ τῶν θυσιῶν κατηγορία, ἀλλὰ τῆς τῶν προσαχόντων πονηρία, ἔγκλημα; Non est Sacrificiorum ipsorum Criminatio, sed Hostias adducentium improbitatis accusatio.*

§. V. Instat Spencerus: *Deus diserte ait Jes. I. 12. Se victimas de Populi manu minime requisivisse.* E. Origo Sacrificiorum divina esse nequit. Resp. Præter jam dicta specialius respondemus, Spencerum Verba Prophetæ non candide dare. Non enim lego: *Quis postulavit Sacrificia a manu vestra?*

stra? Sed *quis postulavit a manu vestra, ut calcaretis Atria mea*; nam qui Animo impuro in Templo comparet, hic censetur Atria calcare, irreverenter habere, ut figulus lutum, vid. *Jes. XLI. 25.* Quod confirmatur verbis Vitringæ ad h. l. *Quod autem subjungitur*; ut Atria mea calcetis, *sive ut verba rectissime vertuntur*; Nimirum Atria mea calcare; frustra non est additum; sed est in iis singularis *Emphasis & elegantia.* Vestrum, ait Dominus, comparere coram me, nihil est aliud, quam Atria mea calcare. *Animo enim a me disjuncti corpora tantum vestra in Templum meum fertis. Atria autem mea calcantes eadem conteritis.* Ergo *Jesajas scripsit: Deum non postulasse ut Atria calcarent.* Non vero ut non offerrent sacrificia ullo modo. Speciose fallit *Spencerus* Textum non inspicientes, quando audet dicere: *Non dicit Deus, se non probasse Judæorum Sacrificia, sed ne exegisse quidem.*

§. VI. Venio ad Locum *Jer. VII. 22.* *Non locutus sum cum Patribus vestris, neque præcepi eis eo tempore, quo educerem eos de Terra Ægypti, de Holocaustis & Sacrificiis.* Ergo, concludit *Spencerus*, Sacrificia non sunt Originis divinæ: Deus enim *Judæis* nullum dedit Mandatum de Sacrificiis offerendis. Resp. Ex antea dictis responsio facilis est. Deus nullum Mandatum Patribus de Sacrificiis offerendis ab *Impiis, Hypocritis* dedit eo fine, ut scelestam ducerent vitam ac externo Sacrificiorum Cultu semper veniam consequerentur de novo *Impietati* operam navaturi. Ex nexu liquet *Jeremiæ* rem esse non cum piis, fidelibus; sed cum malis *ψ. 13.* *Idololatriis, furibus, adulteris, oppressoribus viduarum, orphanorum ψ. 6, 9.* speciatim qui opinati erant sufficere cultum externum

in Templo, Sacrificiorum oblationem, victimas expiare scelera, Deum propitium reddere, hinc novam existere impie vivendi libertatem. Unde *ψ. 4.* Vates dehortatur: *Nolite confidere vobis super verbis mendacibus, dicendo: Templum Jehovah, Templum Jehovah, Templum Jehovah.* Ergo considerant Templo Jehovah externe tantum comparentes, quod belle illustrat Jonathan: לא תתרחצון לכוון על פהגמי נביי שקרא דאמרין קדם היכלא ד"י אתון פלחין קדם היכלא ד"י אתון דבחין קדם היכלא ד"י אתון סגדין תלה זכנין בשתא אתון מתחון קדמוהי: *Nolite confidere in verbis Prophetarum mendacii, qui dicunt: Coram Templo Domini vos colitis: Coram Templo Domini vos sacrificatis; Coram Templo Domini vos adoratis; Ter in Anno vos comparetis coram eo.* Maxime huc facit *ψ. 10.* Postea (quando scelera *ψ. 9.* patrastris) *venietis & stabitis coram facie mea in domo hac, super quam nominatur Nomen meum & dicetis נצלונו erepti sumus* (nullum amplius periculum nobis imminet. Cultus in Templo omne abstulit malum) *eo quod patravimus omnes abominationes illas, vel, ut S. Schmidius vertit, ut faciatis (porro) omnes abominationes.* Igitur minatur Templi destructionem, ne pergant stulte & impie opinari externum Cultum in Templo Deo adeo placere esseque fundamentum fœderis, quod vero falsissimum. Unde ait: *Non locutus sum cum Patribus vestris de Holocaustis & Sacrificiis scil. modo & scopo dicto.* Quare ergo creditis falsæ opinioni? Vultisne nosse fundamentum fœderis vobiscum initi; dicam illud: *Sed hoc Verbum præcepi eis, dicendo: Audite vocem meam & ero vester Deus, vos autem eritis Populus meus & ambulate in omni via, quam præcepi vobis ut bene sit vobis.* Sicuti immediate subjicit *ψ. 23.* His verbis Deus clare reducit aberrantes ad Exod.

XIX.

XIX. §. monetque fœdus victimas non postulasse. Unde etiam in toto Decalogo, fœderis fundamento, nulla fit Sacrificiorum mentio. Bene Raschius ad h. l. תחלת תנאי היתה אלא אם שמע תשמעו בקולי ושמרתם את בריתי והייתם לי סגולה: *Primaria conditio* (in fœdere non erat, ut Israel Sacra faceret) *sed quod exstat Exod. XIX. §. si diligenter audiveritis vocem meam & fœdus meum custodiveritis, eritis mihi peculium.* Consimiliter Kimchius appellat עקר המצוה *fundamentum præcepti.* Infirma itaque conclusio. Lex de Sacrificiis non est fundamentum fœderis divini cum Israel. Non est primarium postulatum & quod per se poscitur. Ergo Deus prorsus nullum dedit Mandatum de Holocaustis nullo tempore, etiam sub conditione resipiscentiæ, fidei a piis offerendis. Subjungo præclarum dictum Senecæ de Beneficiis L. I. C. §. *Nec in victimis, licet optimæ sint auroque præfulgeant, Deorum est Honos; sed pia ac recta Voluntate venerantium.* Itaque boni etiam fame ac fictili religiosi sunt, mali rursus non effugiunt impietatem, quamvis Aram sanguine multo cruentarint, & optime pessimus Julianus de Cynism. 2. p. 399. Ὑσερημένα τῆς ὀσίας ἐκ ἑκατόμβῃ, ἀλλ' ἢ τῆς Ὀλυμπιάδος χιλιόμβῃ ἀνάλωμα μόνον ἐστίν, ἄλλο δὲ ἔδεν, (Sacra a) Sanctitate remota, non solum Hecatomben, sed Chiliomben etiam Olympiadis nihil præter inanes sumtus esse.

§. VII. Porro objicit Spencerus: *Quia Cain & Abel oblationes diversis eorum facultatibus & studiis maxime convenientes obtulerunt, probabili conjecturæ locum facit, eos in Gratiitudinis testimonium Deo labores eorum diversos secundanti obtulisse; & Rationem iis non minus sacrificandi munus, quam Sacrificii materiam præscripsisse.* Resp. Bene! Conjectura tantum

tum est, quam profert Spencerus, non vero Argumentum probans. Ne quidem probabilis est. Si enim probabilis esset, Ratio causam reperiret, ob quam munus sacrificandi Deo acceptum esset. Quæ illa? An Deus, Spiritus, carne animalium delectatur? An homo sacrificans Deo melior, sapiens, sanctus obversatur? Certe non. (Vide plenius dicta Exercit. prima §. XXV.) Alias Cainus æque placuisset Deo ac Abel. Æque enim ac hic Ratione præscribente sacrificavit obtulitque Materiam facultatibus suis convenientem Gratitude testaturus. Alia igitur ratio acquiescentiæ, estque, ut expresse legimus Hebr. XI. 4. *πιστις* fides Abelis innitens Revelationi divinæ. Vide *Exercit. cit.* §. XV, XVI. Ceterum ultro conceditur Rationem utrique fratri Materiam sive Oblationem studiis convenientem præscripsisse. Materia Sacrificiorum tum temporis erat libera, quemadmodum etiam tempus, locus, ritus, aliaque, quæ demum sub Mose Legibus divinis præscripta erant. Non vero firmiter concluditur: Materia Sacrificiorum a Ratione præscribatur. Ergo etiam Munus sacrificandi: Cultus Sacrificiorum sub ipsa Lege Mosaica pluribus statutis circumscriptus erat; materia tamen sæpenumero libera offerentibus relinquebatur. Israelita pro lubitu offerebat Agnum Paschalem vel ex pecore ovino aut hircino. Vid. *Exod. XII. 5.*

§. VIII. Objicit præterea: *Deus sub Novo Testamento nihil in cultu suo positivi, præter duo Sacramenta, præscripsit; sed cultus externi formulas in Ecclesiæ Potestatem tradidit pro variis temporum & locorum circumstantiis determinandas. Et sub V. Testamento Ritus externi certis Legum finibus & cancellis de-*

demum coercebantur, quando Seculi Superstitio & Populi in Gentium Statuta propensi ruditatis postulabant. Ergo etiam Deus Patriarcharum Seculis Cultus externi Ritus juxta connatas honesti & decori Normas determinandas reliquit. Resp. Dicta Spencerum non juvant; potius gravant. Si sub N. Testamento, in quo Umbrae Corpore praesente disparuerunt, duo Sacramenta ex solo Dei statuentis Arbitrio praescripta sunt, non mirum, si Deus Ecclesiae ante Legislationem, quae quovis modo de Passionibus Seminis Mulieris erudienda erat, Ceremonias praeadumbrantes, promittentes, injunxit. Convenit cum omni statu hominum in Via. Jam in statu Integritatis obtinebant Typi, Sacramenta a Deo instituta, veluti *Arbor Vitae, Paradisus, Sabbathum* &c. Obtinent in statu peccati tum sub Oeconomia Mosaica, tum sub Oeconomia N. Testamenti. Recte etiam creduntur sub Oeconomia Patriarchali. Quando vero Spencerus ait, Cultus externi formulas in Ecclesiae Potestatem traditas esse pro variis temporum & locorum circumstantiis determinandas, hoc sensu possumus concedere & actu concedimus statuendo, quod Sacrificia a Deo quidem sint praescripta, sed in Ecclesiae Potestate erat tempus, locus, materia Sacrificii. Num vero Ritus externi sub V. Testamento Ortum debeant Seculi Superstitio & Populi in Gentium Statuta propensi ruditati, ut Spencerus putat, haec ex professo non examinamus. Cum Laude examinavit Cel. Witsius in *Aegyptiacis*. Hoc tantum notamus. Sacrificia, de quibus nos agimus, non posse adscribi Seculi superstitioni & Populi in Gentium Statuta propensi ruditati. Pii enim & fideles, ut Abel, Noachus,

Abrahamus, sacrificarunt ante Impios & infideles, saltem quantum ex certis Monumentis hæc probari possunt. Ergo illi non sunt horum simiæ, quin contrarium statuendum est. Dein annon credibilis est Ecclesiam sub Mose potius secutam fuisse Antecessores in Sacrificiis, Patriarchas, Majores variis nominibus colendos, quam Ægyptios aliasque Gentes in Capitibus Religionis corruptas.

§. IX. Objicit insuper: *Sub simpliciora mundi tempora, nulla alia gaudebant homines Cultus moralis norma præter dictamen rectæ Rationis; Nil itaque vetat credere, quod ea solummodo Cynosura in cultu ceremoniali adornando dirigerentur.* Resp. Alia longe ratio Cultus moralis ac ceremonialis ac speciatim Sacrificiorum. Illum facilius dictat rectus Rationis Usus. Quando enim officia moralia in Natura Dei & hominum fundata sunt, constat Lumine Rationis sciri posse. Unde Gentiles expertes Revelationis extraordinariæ noverant & Deum esse & colendum esse; Proximo quoque suum esse relinquendum vel reddendum. Moralia hinc non contemnenda exstant in variis Ethnicorum Scriptis. Quanquam non absolute verum sit, Patriarchas nulla alia gavisos fuisse Cultus moralis norma præter dictamen rectæ Rationis. Caruerant Verbo divino scripto; Non caruerant orali. Ipse Deus cum Protoplastis locutus erat docuitque eos Voluntatem suam Gen. III. Sine dubio divina sibi revelata Posteris pie & incorrupte tradiderunt. Pii, qui cum Deo seduli ambulant, ex Deo agenda & omittenda accepisse censebunt. Specialius docet Historia Noachi, Præconis Justitiæ, resipiscentiam a Sceleribus & meliores

res fruges ab Incolis primi Mundi nomine divino postulantis. Idem Diluvio finito accepit expressam a Deo Legem de Homicidio fugiendo. Laudatur Abrahamus, quod domui suæ inculcet *Viam Jehovæ* observandam Gen. XVIII. 19. Ergo ipse primus a Deo edoctus erat, quæ Via ejus sit. Communis in Gente Judaica dominatur Traditio, quod Deus jam Adamo sex dederit Præcepta, septem Noacho. Παράδοσις hæc potius in defectu peccat, quam in excessu. Numerum Præceptorum divinorum non auget, sed minuit, quod sine magno labore demonstrari posset. Ex dictis clare fluit, quod sub simpliciora Mundi tempora præter dictamen Rationis etiam Voluntas Dei circa præstationem Officiorum moralium revelata fuerit. Quando vero tum Deus revelavit moralia, multo magis habetur revelasse Ceremonialia, speciatim Sacrificia, quorum cultus natura in Cor hominis non ascendit, ut superiori Exercitatione sæpius ac clare probatum est. His etiam simplicioribus Temporibus certa Voluntas Dei manifestata est de Iride pro Sacramento Gratiae habenda, de Circumcisione Carnis ab Abrahamo & ejus Posteritate observanda. Falsum ergo, quod tum temporis dictamen Rationis sola fuerit Cynosura in Cultu Ceremoniali adornando.

§. X. Objicit Spencerus denique: *Ne susurrum quidem Legis alicujus de Deo Sacrificiis honorando primis hominum Patribus datæ per totam Scripturam percipere licet. Omni vero probabilitate caret, Scriptores sacros ejusmodi Legem, si quæ fuerit, tanquam rem parvi momenti tacite præterire voluisse.* Male audit Spencerus, qui ne susurrum quidem Legis ejusmodi de Deo Sacrificiis honorando datæ percipit,

cepit, quando alii distinctum satis Numinis Mandatum hoc de officio audiverunt & se audivisse probant. Non repeto plura & varia Argumenta, quæ prima Exercitatione exstant. Si per primos hominum Patres Protoplastos intelligeret Antagonista noster, facilis concederem nullum exstare tale disertum Mandatum in Monumentis Mosaicis. At quæstio non restringitur ad Protoplastos vel his proximos, sed ad Patriarchas, qui ante Mosén vixerunt. Mandatum de Sacrificiis offerendis Abrahamo (vixit autem hic ante Mosén) latum clarissimis Verbis legimus. Ex aliis sacrificantium Exemplis solidis consequentiis hoc ipsum concludimus. Aequipollent solidæ consequentiæ ac Leges distinctis verbis datæ. Mosés non intendit Leges Patriarchis datas distincto ordine enarrare. Legislator Israelis erat. Hujus itaque Leges distincte & ordinate proposuerat. Sapientibus sufficit Vita Patriarcharum consignata, ex qua de Religione ac Sacrificiis eorum tum ex collatione Scripturarum, tum ex attentiori pensitatione eorum quæ memorantur, certum satis iudicium ferri potest. Accedit quod nulla ævo Mosés necessitas exstiterit divinam Sacrificiorum Originem probandi. Quotquot tum vixerant, hanc originem crederant. Cultum externum, Sacrificiorum speciatim, tantum habuerant suo ævo continuatum (loquor de substantia) & specialibus tantum Legibus deductum. Prorsus ut se habuit cum Circumcisione a Patribus ad Posteriores propagata. Scio alios ulterius progredi atque asserere ipsius Adami Sacrificia certo constare ex tunicis pelliceis, quas Deum Protoplastis fecisse Mosés memorat Gen. III. 21. At nolo hoc Argumento contra Spencerum
uti;

uti; Cum enim, quæ attendentibus clara, profus negat & sonoras voces susurri nomine indignas habet, quale ferret Judicium hoc de Argumento, mea quoque sententia incertiori. Nec utor constanti in Ecclesia Judaica παραδοσει, ut eam reliquit Maimonides in *Jad. Chaf. Tr. de domo selecta Cap. II. §. 2.* כסורת ביד הכל שהמקום שנבנה בו דוד ושלמה המזבחה כגורן ארונה הוא המקום שבנה בו אברהם המזבחה ועקר עליו יצחק והוא המקום שבנה בו נח כשיצא מן התבה והוא המזבחה שהקריב עליו קין והבל וכי הקריב אדם הראשון כשנבנה ומשם נברא אמרו חכמים אדם ממקום : כפרתו נברא *Pervulgata Traditio est, locum, in quo David & Salomo in area Araunæ altare exstruxerunt, eundem esse, in quo Abrahamus Isaacum ligaturus suum ædificavit: imo eundem, ubi Noa arca egressus suum quoque exstruxit: Ubi Cain & Abel sacrificarunt: ibidem etiam Adam, postquam creatus erat, obtulit & ibi creatum fuisse, sequens sapientum dictum vult. Adamo idem locus expiationis, qui creationis.*

§. XI. Objicit ultimo: *Hæc sententia Veterum pene omnium Testimonio se tueri potest, uti auctoris Constitutionum Apostolicarum, Auctoris Responſionum ad Orthodoxos, Chryſostomi, etiam Patrum modernorum & Rabbinorum,* quos in hujus Sententiæ subsidium adduxit Doctissimus Outramus. Resp. Ita est, ut Spencerus refert; Plurimi ex Veteribus ita opinati sunt. Sed horum Auctoritas, nisi rationibus munita, nihil probat, quod nos non semel ipse hic Auctor docet. Nemo itaque nobis vitio vertet, si Libertate, qua ipse utitur, nos quoque utimur, & horum Auctoritatem solam sufficere negamus. Tanto minus, quod Auctoritas Auctoritati posset opponi. Unde ex Veteribus quoque, qui Ortum Sacrificiorum divinum agnoscunt, existere,

stiteret, notantibus Heideggero in *Hist. Patriar.* T. I. Exerc. V. §. 15. Leydekero *Vis Veritatis* L. IV. Controv. I. Saldeno in *Ot. Theolog.* Exercit. VI. §. III. Quod Rabbinos attinet, duos saltem & quidem recentes in hanc quæstionem citat Outramus, Ralbag scil. & Abarbanelem. Miror hac in materia Magistrorum Verba Spencero tanti videri, ut illis argumenti locum adscribat, quæ sæpenumero alibi, quando veriora tradunt, sed ejus causam non juvantia, frigida Judæorum Commenta appellat. Ita, quando Spencero accedunt, sunt boni Interpretes; sin aliter, mali nugatores.

Tu, B. L. quæ pro & contra in medium prolata sunt, probe perpende καὶ τὸ ἀληθινὸν elige. Spiritus Veritatis repleat Mentem nostram Veri Amore & ducat nos in omnem Veritatem.
Amen!

